

universum conspicies mundum, in loco immobili lumine motum, et eum totum per se immobilem, ut locum imitetur: per partes vero motum, ut hoc minus habeat quam locus; et ab oraculis quoque, quae a Chaldeis sunt edita, ea quae de anima dicuntur fontana. Abunde animans, lucem, ignem, aethera, mundos. Hoc enim esse lumen, quod supra Empyreum est, unitas ante trinitatem, Empyrei, aetherei, materialis.” Addit haec Simplicius:

Δοκεῖ δὲ καὶ τὰ κέντρα τοῦ κόσμου παντὸς, ὃς ἐν τούτῳ πεπηγέναι, ἐι γαρ τὰ λόγια, τὰ κέντρα τοῦ ὑλαιου κόσμου ὑπερ ἀντόν ἐν αιθέρι πέπηγεν, κατὰ τὸ ἀνάλογον αναβαίνοντας τοῦ ἀκροτάτου τῶν κόσμων, ἐν τῷ φωτί τούτῳ, τὰ κέντρα φησομεν ὑδρῦθαι, μηποτε δὲ τὸ φῶς τοῦτο, πρῶτον ἔστιν, εἰκὼν τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ διὰ τοῦτο ὑπερκόσμιον, ὅτι καὶ ἐκεῖνος.

“Videntur autem, et centra mundi totius, in hoc esse fixa. Nam si oracula, centra materialis mundi, in eo qui supra eum est aethere infixere, proportione ascendentibus, supremi mundorum in hoc lumine dicemus esse stabilita. Num vero, lumen hoc primum, imago est paterni profundi? Et ob id supramundanum sit, quoniam et ille.”

Post autem nonnulla etiam haec adiungit:

Μάιλισα δ'εκ τῆς θειας παραδόσεως, ἐπερ καὶ το ἐμπύριον διὰ τοῦ ἀιθέρος, καὶ τὸν αιθέραφησί διὰ τοῦ ὑλαύου χωρεῖν, καὶ ἐπερ αἱ τετράδες, καὶ αἱ ἐβδομάδες αἱ νοεραὶ πάσαι πηγαίαν ἔχουσι τάξιν, καὶ διὰ τοῦτο ἐμπύριον τὴν επιστασίαν, συμπεριέχοντααι ὅμως τοῖς κόσμοις, ὃς καὶ τοῦ ἐμπυρίου διὰ πάντων χωροῦντος.

“Maxime vero ex divina traditione. Si quidem et Empyreum per aetherem, et aethera dicit per materiale penetrare; et si quaternitates, et septenitates omnes intellectuales fontanum habent ordinem, et ideo empream praesidentiam, continentur nihilominus mundis, ut pote Empyreum per omnes permeante.” His annexit deinde haec alia.

Πῶς οὖν τὰ λόγια φησί, ἐπτὰ γαρ ἔξανγκώσε πατήρ στερεωματα κοσμων, ἐι μηδὲ δυσωπεῖ, καὶ τό μή ἀν ατελεῖς εἶναι τάς σφαιρας ἀψίδας μονον οὔσας, καὶ οὐκέτι σφαιρας, εἰ αχρι τοῦ κέντρου χωροῖν.

“Quo modo ergo oracula affirmant. Septem in moles duxit pater, firmamenta mundorum si non odit, non esse spheras imperfectas, sed fornices tantum esse, et non spheras, nisi ad centrum usque pertranseant.”

Haec ex oraculis Zoroastri ac Chaldæorum, de Empyreo mundo, innumeris philosophantium incognita, voluti ex tenebris eruimus in lucem. De cuius Empyrei per reliquos penetratione, cum de eo singulatim agemus, aliquid amplius palam faciemus. Satis in presentia fuerit, supra aetherem, et supra mundum hunc ostendisse rationibus, et authoritatibus confirmasse, ignem seu lumen esse tantum, ut mundum alium constitutum dicimus cælum empyreum, in quo ex Aristotelis, etiam traditione, substantiae divinæ, divinam vitam degant, et Deus ipsem, ex nostrorum dogmatibus Theologorum, et mentium beatarum ordines, et animarum. Idque recta ratione Zoroaster posuit; tum quoniam, ante mobilem aethera, immobile aliquid esset; natura id ferente; sicuti etiam fert, ut simplex omnino, composito sit antiquius, et anterius. Compositum autem esse aethera, cum ad eum tractatio nostra venerit, ostendemus.

*FINIS OCTAVI LIBRI.*